ALEXANDRI NEVYLLI AD VVALLIÆ PROCE- RES APOLOGIA.



NVM. XXI.

LONDINI,
Ex officina Henrici Binnimani,
Anno salutis humanæ. CIƆ.IƆ.LXXVI.
Maij, XII.



Alexandri Nevylli Angli ad Walliæ Proceres Apologia.



OMNIVM iam pænè ſermone (viri ampliſsimi) percrebuit (idq; mihi ſũmo ſanè dolori eſt) veſtrorum me vocibus vbique, maledictiſque conſcindi: magnamq; mihi (tanq̃ ſummi ſceleris reo) ex ſcriptis meis invidiam vndique conflari: perindè quaſi eo in libro quem nõ ita multis abhinc diebus de KETTIANORVM FVRORIBVS pervulgavi, Genti veſtræ (neſcio quas) dedecoris & ignominiæ labes impreſſerim. Huic tã gravi, (ne dicã iniquo) crimini occurrẽdum mihi primo quoquo tempore exiſtimavi, ne taciturnitate mea, ſparſos, & diſſeminatos de meo ergà veſtros populares animo rumo-

res, si minùs comprobasse: at certè neglexisse viderer. Quanq̃ equidẽ si continuò simul ac quicquam in hominum voculas, reprehensionemq́; incurrerit, idipsum auctori capitis semper periculo prȩstandum erit, iam tum antè animo prospicio, qualis, quãque perdifficilis, ac lubrica, cunctis historiã perscripturis, condicio proponatur: quemadmodumq́; eorum salus (ni curæ ea principibus sit, ac summis in Republica viris) in dubium atque discrimen vocetur.

Verba mihi quædam obijciunt: quibus suam à me pollui dignitatẽ, contaminariq́; querũtur: perindè ac si non eos dũtaxat homines, qui illa gesserũt quȩ scripsi, sed gentẽ vniversam oratione mea iniquissimè perstrinxerim. Equidẽ & me illa scripsisse fateor: & illos quæ à me scripta sunt minùs benignè interpretari permolestè fero. Nã quòd quosdam qui ad impedimenta stabãt *WALLOS*, perduellium multitudine oppressos, & tantũ nõ circumventos, perterritos

tos diffugiſſe ſcripſi, enimverò nec ea res invidiã mihi parere, nec illis dolorem invrere debebit. Siquidem omnes qui ad res geſtas oratione explicandas ſe conferunt, lege ea quæ eſt de hiſtoria (*Ne quid falſi audeant, ne quid autem veri non audeant*) aſtricti tenentur: & quæ de paucis vel ſingulis vnius gẽtis hominibus, notatis & locis & temporibus traduntur, ea ad omnes ſine ſumma certè ſcribentium iniuria deriuari non poterunt. Quid? quod hoc ipſo in libro ſæpè à nobis, ab alijs autem (qui noſtrorum hominum res geſtas monumentis conſignarunt ſuis) ſæpiùs *ANGLI* diſiecti atq; in fugã impulſi feruntur, eoné vniverſæ gentis dignitati detractum arbitrabere? An omnẽ fugam (in bello præſertim) timiditati, & ignauiæ aſcripſeris? Nihil fortunę, nihil tempori, nihil locorum iniquitati? nihil deniq; imperatorum ſcientiæ reliqueris? Semperné aut vincendum, aut moriendum erit? Neq; interdum (bono ſi id publico fiat) te

ſubducere (quando belli Mars eſt atrociſsimus, atq; vndiq; horribiles terrorum procellæ tempeſtateſque impendent) non licebit? Placetné ergò rem ferociùs quàm cõſultiùs gerere? Noſtroſque duces *Flaminij* potiùs *Terentijq́*, quàm *Fabij* ſimiles eſſe malumus? quorum hic cunctando, fugiẽdoque, & in tuta ſe ſemper recipiendo, Romanam priorum Imperatorum temeritate prolapſam, reſtituit rem: illi verò (præferuidi vtiq; animi, atq; inconſulti) momento temporis ſe, exercituſq;, exitiabili clade inuoluerant. Proindè vt non omnis, omni tempore ſuſcipienda pugna videtur, ne in certam noſtram, & haud dubiam Reipublicæ perniciem, feroces ac præproperi ruamus, ſic quędam (vt ita dicam) ſalutaris, & non reprehendenda fuga exſiſtit. Adeò vt per mihi bellè (quiſquis ille regum fuit) cuidam eum cum ſuis effuſiùs fugientem increpanti, reſpondiſſe videtur: cùm, *non ſe fugere quidem: ſed concitatiore curſu vtilitate*

à tergo

à tergo ſitas quærere vociferaretur. Quapropter his de cauſis omnis expers culpæ exiſtimandus ſum, tùm quià res geſtæ ſatis pro dignitate, niſi verè ac ſimpliciter, explicari nequeunt: tùm quià ea quæ dixi, non ad vniverſam gentem, ſed ad perpaucos & hoſtium multitudine, & locorum iniquitate in fugam compulſos, referri debent.

Quid quod meis etiam popularibus (ſi quando res poſtularat) non pepercerim? nonné indicio eſt me veritati magis quàm cuiuſpiam auribus inſerviſſe? An ſi cætera vti geſta ſunt omnia ſincerè expoſuero, hac vna in re prudens laberer, & teſte hominũ memoria (vivunt enim adhuc permulti qui illis tumultibus interfuerant) tantam meis ſcriptis plagam, tantam ſecurim inijcerem?

Porrò, ſi omnis illa de *Wallorum* fuga (verè rem æſtimantibus) culpa (ſicuti dixi) vacet oratio (vacat autem proculdubiò) in quo tandem (viri ampliſsimi) crimen hęrebit? An in eo quòd Genti veſtræ nobiliſsimæ,

mæ,&(quod inter omnes constat)virtutis laude præcellenti,oratione mea invidiosius detraxerim? eamque(nam is quoque passim(vt audio)circunvolitat in circulis sermo)ignaviæ maculis, turpissimaque ignominia notarim? Videlicet,is ego sum,qui tã non modò cohærentia, verumetiam planè repugnantia litteris mandarem. Qui cùm hoc ipso in libro, eorum famam, res gestas, belli gloriam in cœlum sustulerim, subitò mutata voluntate orationem retexerem:& in quos omnium verborum ornaměta priùs cogesserã, ore demum eos impuro, maledicentissimoq; violarem. Quid ergò est? Nimirùm(illust.Heroës) sic se res habet.

Cùm esset mihi primùm(parvis ad scribendum opibus & facultatibus prædito) eius cõiurationis explicandæ necessitas imposita:(siquidě ab omni semper scriptione, mea longissimè ratio, voluntasq; abhorrebat) contěderunt à me ij, quorum auspicijs & inchoata res est, & perfecta, ne quid te-

merè

merè immutare, ne vò trāsversum (quod aiunt) vnguē à litteris, & narratiunculis quas habebā discederem. Erant autem eæ civiū quorundam *Norvicensium*, tenues plereq; & (vt opificum) inornatæ: sed tamen illiusmodi, vt si quādo ab earum auctoritate recessum foret, omnis illa quæ in veritate cōsistit historiæ dignitas, depravari protinùs exstinguique videretur. Itaq; cùm omnis nostra voluntas, his quasi alligata vinculis esset, & cancellis circumscripta, relligioque esset, à prȩscriptis narrationum (quas dixi) formulis recedere, si qua in re fortè quempiā offenderimus, nobis id quidē vitio verti nō debet. Stilus enim verò atq; ornatus, reique gestæ explicatio (qualis qualis fuit) nostra certè fuit: porrò res ipsas (perindè vti omnes qui historias conscribunt) aliundè desumsimus. Ita si quid concinnè minùs, minùs distinctè, si quid pro hominum, temporum, locorum, rerumq; gestarum ratione decorè minùs expressero: idipsum mihi

 sanè

ſanè præſtandum erit. Cætera ſi quis ſe læſum, violatumvé exiſtimabit, cauſam ſuſtineant ij, qui nobis ad ſcribendum auctores exſtiterunt. Quanquam ne ij quidem, præſertim cùm conſilia ſua vniverſa, nullũ alium in finem, niſi ad *DEI* inprimis, tũ, huius regni gloriam, vtilitatemq; converterint.

Vos verò (viri ornatiſsimi) non ex vna aliqua ſententiola, ſed ex vniverſa oratione mea, meum de veſtræ Gentis amplitudine iudicium exiſtimatote. Dicam enim, (quãvis dici à me fortaſsis non debet) dicam tamen audaciùs (æquitate fretus veſtra, innocẽtia mea) neminem vnquam exſtitiſſe qui laudibus, vel iuſtioribus, vel maioribus, vel vberioribus, gẽtem veſtrã condecorauerit. Legite meum quẽ nuper, de *NORVICO* conſcripſi libellum: vſquequaque ſanè totus, maiorum veſtrorum ornamẽtis circunfluit. Quantus ibi de vobis ſermo? Quã magnificus? quam nõ ad aliorũ arbitrium,

ſed

ſed ad animi mei ſenſum veritatemq́; inſtitutus? Quid quòd *POLIDORVM* (hominē mediusFidius pereruditū,) Italum tamen, eoq́; Romanorū laudibus inverecundiùs lenocinantem, veſtræ autem virtuti apertè invidentem, omnibus omniū antiquorum ſcriptorum telis confixerim? Quid cū priſca illa (à *BRVTO* qui veſtri princeps generis perhibetur) ad hæc ferè tempora oratione percurro, nonné omnes induſtriæ meæ nervulos ad veſtri nominis famā, æternitatemq́; intendiſſe videor? Et plus mihi ad invidiā aliorum (noſtro leuiter tinctus polituſq́; penicillo valebit error) quàm firmum conſtanſq́; meum de veſtra fama, fide, dignitate, fortitudine, iudiciū? Veſtramné ego violarem gentē? Ego ampliſsimis hominibus, & quà à maioribus, quà ab iјs qui nunc ſuperſunt, belli laude redundantibus, ignaviæ turpitudinem infligerem? Tantamné vobis? vobis dico? immò mihimetipſi tantum dedecoris ignominiæq;

 niæq;

niæq; inurerem? Scilicet ita natus, educatus, institutus sum. Nihil legeram, nihil audieram, nihil scripseram, nihil videram vnquã. Non *CÆSAREM* (imperatorem (Christe) quem & quantum?) Galliæ tũ, Germaniæque triũphis, victorijsq; resplendentẽ, à vestris repulsum maioribus, profligatumq; didicerã. Non (multis antè *CÆSAREM* annis *BRENNO* duce) captam Romam, incensam, direptam: non tantam tanti imperij maiestatẽ penitùs pæne exstinctam atq; deletam. Non sæpè dein acie depugnatum: non pulsas, protritas, cócisas, hostium cohortes, legionesque intellexeram. Non Saxonum scelus, non perfidiam acceperam. Non illis denique durissimis temporibus vestrorũ hominum fortitudinem insignemq; virtutẽ cognoram. Age verò post miseram illam, non maiorũ vestrorũ inscitia, sed Saxonum scelere contractam cladem, quanta semper fide, relligione, sanctitate, vestri sub nostris regibus

maio-

maiores vixerunt? Quoties pro huius imperij maieſtate decertarunt? Quoties deuota pectora hoſtibus obiecerunt? Quoties domi, quoties foris, pręclara Martis facinora ediderunt? *MATTHÆVS* ille *GOCH*, (vir immortalitate dignisſimus) quantas in Gallia hoſtium, quantas domi ſeditioſorum ciuium ſtrages fecerit quis ignorat? Quid hîc ſingulos? *HARBARTOS? MANSFIELDYOS? GAMMOS? GAMMAGIOS? MORGANNOS? VVACHANNOS? OVYNNOS? DAVYDDOS? LHVYDDOS? PRYSÆOS? RISEOS?* innumerabileſque alios virtute, fortuna, gloria, rebuſque geſtis amplisſimos commemorem? Querite quibus legionibus noſtri ſæpè reges Gallum ſubegerint, reperietis profectò, ijs omnibus in bellis, ſummam veſtrorum fidem, cum incomparabili ſemper fortitudine coniunctam exſtitiſſe. Multa præ-

tereo, omnia enim persequi, neque temporis est huius, neque instituti. Ad vnum vestrorum hominum peregregium, & singulare facinus festinat oratio: quod ipsum fueritné nobis, reiq́ue publicæ salutariùs: an vobis vestrisq́ue gloriosiùs nemo dixerit. Cùm RICHARDVS eius tùm nominis tertius, diro, atq; infando scelere partum imperium, vi & armis tueretur, vestri parentes (vestri (inquam) viri amplissimi parentes) divinum illum virum & sapientissimum principem *HENRICVM SEPTIMVM*, profligatis acerrimo in bello exercitibus, cęsoq; tyranno, suis pęnè manibus regia in sella collocarunt. Qua vna in re omnes omnium victorias, triumphosq́ue superarunt. Etenim non illo duntaxat facinore (cùm priùs omnia intestinis arderent bellis) æterna & parta pax est, & imperij maiestas constituta: verumetiam innumerę fœlicitates illinc ad nos tanquam à fonte profluxêre: Hinc civibus salus, hosti ter-

ſti terror HENRICVS: hinc genio ingenio ter fœlix EDOARDVS: hinc MARIA recenti clara memoria: hinc ELIZABETHA, non *ANGLIÆ* modò lumẽ, ſed totius terrarum orbis ſtella. Hinc denique pax, pietas, relligio.

Quæ omnia multaq; huiuſce generis alia, cùm legerim, audierim, viderim, nonnullaque meis ipſe monumentis prodiderim, nonné me omnium mortaliũ non dico ſtultiſsimum, ſed planè furioſiſsimum, importuniſsimumq́ue eſſe oportebit, ſi tantas laudes, tantam dignitatem, tantam domi, foris, vbique, tàm denique teſtatam omnibus, perſpectam, cognitam fortitudinem, adeò turpi & horribili mendacio commacularem?

Præterea non mihi ſuccurreret (arctiſſimum ſanè ad concordiam vinculũ) vnius nos auſpicijs, vnius imperio gubernari? vnis ſacris, legibus, inſtitutis contineri?

Porrò autem ſi tot (quot anteà dixi) maiores

iores vestros vita functos aspernarer, eosq; oratione mea petulantiùs insectari voluissem: ecquid adhuc viventes, & gloriæ etiamnúm superstites suæ, atrocissimo maledicto perfunderem? Hoc ipso die, hoc (inquam) ipso (quo hæc scribuntur) die, quàm multos ex vestris proferre possem, insigni fortitudinis laude, virtutisq; decore circunfluentes? Equidem quocunque me animo ac cogitatione conuerto, robora virorum cerno, & corpora planè heroica: quæ vtinam nominare liceret, sed non licet: (neq; enim se forsan nominari volũt) & si velint, ne possint quidem: præsertìm cùm in tanta multitudine omnes enumerare infinitũ foret: præterire verò quenq̃ invidiosum.

QVÆ cùm ita sint (neque enim ignoro quã vulgi sermone traducar) per ego fortunas vestras vos (viri amplissimi) deprecor, ne mea posthac in invidiã scripta vocetis, nevé vestræ bellicosissimæ gentis dignitatẽ illis quo pacto imminutã existimetis.

Tum

Tum si qua forsan in re tantulùm offensum, titubatumq́ue fuerit, si quid populare minùs, atque plausibile : si quid asperiùs, si quid duriùs, quid more denique historico liberiùs dictum videbitur : id vtique ne ad famam, existimationemvé vestrã, vestrorumvé, pertinere arbitremini: sed aut penitùs ex animo deleatis vestro ; aut (quod Christianos decet) piè, benigneq́; interpretemini. Quorum alterum humanitatis erit vestræ : alterum æquitatis.

VAELTE.

ALEXANDER NEVYLLVS.

*Maij.xij. Anno.*CIↃ.IↃ.lxxvi.

